



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

Punctum III. coram Christo Iudice omnificio, assistente hinc S. Angelo  
Custode, inde Diabolo accusante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

*Punctum II. ad Deum Patrem.*

*Pete Lumen.*

**O** Pater luminum! per charitatem tuam aeternam erga me, obtestor te, mentis meae tenebras discute, memoriam renova, intellectum illumina, voluntatem inflama gratiamq; copiosam largire, omnia peccata mea, dicta, facta, cogitata, omissiones, imperfectiones, & negligentias perfecte cognoscendi, detestandi, desistendi, & confitendi, emendandi, eorumq; occasiones sollicitè præcavendi. Aperi mihi, Domine, oculos animæ, ut videam voluntatis meae inconstantiam, carnis fragilitatem, propensionem ad malum, infirmitatē ad bonum, pericula mundi, retia diaboli; ut cautè deinceps ambulem, vitam seriò emendem, injuriam tibi illatam reparem, & gloriam tibi ablatam pro viribus compensem.

*Punctum III. coram Christo Iudice omniscio, assistente hinc S. Angelo Custode, inde Diabolo accusante.*

*Discute mentem.*

**E**xamina à momento, quo evigilasti, usq; in presentem horam, quas primas cogitationes evigilans admisisti, quam alacriter surrexeris, quam

*ferven-*

seruenter preces matutinas persolueris, quam exacte examen vespertinum pridie institueris, quate gesseris in horis recitandis, in preparatione, celebratione, & gratiarum aditione sacrificii: in negotiis, in refectioe corporis, in colloquiis, in conuersatione cum proximis, in cura animarum tibi commissarum, in mortificatione passionum, in resistentia tentationum, in omissione bonorum operum, in exercitio virtutum in custodia sensuum, in obseruatione preceptorum & uotorum, in fuga & remediis peccatorum &c. Si quid delicti occurrat, dolorem elice: si nihil notabile acciderit, Deo gratias age: atque interea erubescere, quod post tot annos in statu tam sublimi & sancto transactos, post tot meditationes & examina, post tot exhomologeses & sacrificia, aliaque ad deo potentia supernaturalia media, tam parum nihilominus in spiritu profeceris, tam exiguam uite emendationem asseueris, & forte nullum adhuc vitium penitus extirpaueris, nec ullam solidam uirtutem perfecte acquisieris: & cum religiosissimo Thoma Kempensi lib. 4. de Imit. cap. 7.

Ingemisce & dolo, quod adhuc ita carnalis sis & mundanus, qui mundo & carni deberes esse mortuus utpote in Christi sortem adscriptus. Deplores, inquam, quod sis tam immortificatus a passionibus, tam plenus concupiscentiarum motibus, tam incustoditus in sensibus exterioribus, tam saepe multis uanis phantasis implicatus, tam multum inclinatus ad exteriora, tam negligens ad interiora: tam leuis ad risum & dissolutionem: tam durus ad fletum & compunctionem: tam

promptus ad laxiora & carnis commoda, tam  
 segnis ad rigorem & fervorem: tam curiosus ad  
 nova audientia, & pulchra intuenta: tam re-  
 missus ad humilia & aliecta amplectenda: tam  
 avidus ad multa habenda tam parcus ad dandi:  
 tam tenax ad retinendum: tam inconsideratus  
 in loquendo: tam incontinens ad tacendum tam  
 incompotitus in moribus. tam impotitus in actibus  
 tam effusus super cibum, tam surdus ad Dei ver-  
 bum: tam velox ad quiescem: tam tardus ad la-  
 borem: tam vigilans ad fabulas: tam somno-  
 lentus ad vigilias sacras: tam festinus ad finem,  
 tam vagus ad attendendum: tam negligens in  
 laboris persolvendis: tam tepidus in celebrando,  
 tam aridus in communicando: tam cito distra-  
 ctus: tam raro tibi bonè collectus: tam subito  
 commotus ad iram: tam facilis ad alterius dis-  
 plientiam: tam pronus ad iudicandum, tam ri-  
 gidus ad arguendum. tam letus ad prospera:  
 tam debilis in adversis: tam saepe multa bona  
 proponens: & modicam ad effectum perducens. His  
 & aliis defectibus tuis cum dolore & magna dis-  
 plientia propria infirmitatis, perpensis, discussis,  
 & deploratis, firmum statue propositum, vitam  
 tuam emendandi, & in melius proficiendi.

*Punctum IV. ad Dei Filium.*

Delicti veniam posce.

Dolor de peccatis venialibus.

**C**onstitutus sum à te, Redemptor a-  
 mantissime, in eo statu, in quo non so-  
 lum propriam salutem & sanctitatem pro-  
 cura